



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De infirmis in periculo mortis constitutis. xiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

lere episcopum, & sic periclitantem eius præcepto recoci-
liare. Quam rem debemus salubri consilio roborare.

De infirmis in periculo mortis constitutis. Cap. XIII.

*Ex pœni-
tentiali
Theodo-
ri.*

AB infirmis in periculo mortis positis, per presbyteros
pura inquirenda est confessio peccatorum, non tamen
illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda,
& cū amicorū orationibus, & eleemosynarū studiis pon-
dus pœnitentiæ subleuandum: & si fortè migrauerint, ne
obligati ex cōmunionē alieni, vel ex cōsortio veniæ fiant.
A quo periculo si diuinitus ereptus conualuerit, pœnitē-
tiæ modum à suo confessore impositū diligenter obseruet.
Et ideo secundū canonicā authoritatē, ne illis ianua pie-
tatis clausa videatur, orationibus & cōsolationibus, eccle-
siasticis sacra cum unctiōe olei animati, secundum statuta
sanctorum patrum, cōmunionē viatici reficiantur.

*De quodam qui Christum negauerat, quomodo in ex-
tremis viatico liberatus est. Cap. XV.*

*Dionysi^o
in Eccle-
siast. histo-
ria dicit.*

IN historia Ecclesiastica Dionysius rescribens ad Fer-
bianum, inducit quandam historiam, dicens quendam
fuisse apud Alexandriam, vnum ex his qui lapsi sunt, eum
dem sæpe deprecatum esse vt susciperetur, nec tamen im-
petrasse. Oppressum deinde hunc ægritudine, ita vt tres
dies sine voce prorsus iaceret: paululum verò quarta die
respirantem, vocasse ad se filiulam suam, & dixisse, ferretur.
Quousque me detinetis? Quæso vos citò aliquis presbyte-
rorū veniat, vt possim dimitti. Et cū hoc dixisset, rursum
sine voce permāsit. Abiit citò cursu, ad presbyterum pueri,
noctis tempore. Infirmabatur presbyter, venire non po-
tuit: tamen quia præceptum fuerat, vt lapsis in exitu ne-
mo reconciliationis solatia denegaret, & maxime his
quos prius id rogasse constat, parum Eucharistiæ pueri
dedit. Regrediente adhuc puero, antequam ingrederetur
domum, rursum Serapion redisti, inquit, fili: Licet presbye-
ter venire non potuit, tamen imple quod tibi imperatum
est, vt possim recedere. Cumq; acciperet Eucharistiā, re-
lut. cathenis quibusdam vinculisq; disruptis, latiorems
spiritum reddidit. Ex quo constat huius boni auxilio nul-
lum debere fraudari.